

domini Henrici imperatoris in Italiam legatus, cum tempore illo C̄aesenam manuteneret, vineas et segetes C̄aesenatum, cum esset pr̄aesens, nequaquam defendere valuit [A].¹

Quando Faventini primo Častrum super Cosnam d̄edicare c̄eperunt.

CAP. CXVII.

Faventinis recipientibus quosdam castellanos Castri Leonis, secundum generalem civitatum consuetudinem, in eorum civitatem, in tantum doluerunt Forolivienses, quod duos ex ipsis castellanis, despctis Faventinorum precibus, suspendere non dubitabant. Tanto itaque dolore Faventini permoti, anno MCXCVIII, sub Guifredo Confalonero eorum rectore, Častrum super Cosnam, in odium Liviensium, d̄edicare c̄eperunt.

De guerra et obsidione civitatis Forolivii / et de destructione Flumande.

CAP. CXVIII.

Anno MCCXII, completo Častro super Cosnam, Faventini, de consilio et voluntate Mai civis [a] Bononiensis, rectoris eorum, guerram Liviensibus et castellanis Castri Leonis [b] mense Aprili inceperunt movere [c]. Deinde, convocatis Bononiensibus ad eorum servitium ac molensibus, nec non comite Guidone, in mense Maii civitatem obsederunt Forolivii. Quorum segetes [d] et vineas cum per octo dies hostiliter devastassent, et Ravennates cum Cerviensibus et Popiliensibus et Bretenoriensibus et abbe Galiatæ intus essent reclusi, Faventini, more solito, pr̄efatos inimicos infra claustra Fractariae [e] fortissimo impetu et clamore invadunt maximo. Quos post conflictum maximum, totis viribus totoque conamine in fluvium ante burgum Sclavanie impellunt, ubi per maximum diei spaciū ingens committitur bellum, captis quam pluribus utrinque, atque gladio interemptis. Porro Guillielmus Rangonus Bononiensium potestas, cum omnes suos ad pugnam armari fecisset, et a Maio Faventino [f] potestate rogaretur obnixe, ut Faventinis deberent Bononienses succurrere, quasi fatigatis [g] omnibus suis, sub banno pr̄ecepit, ut ad pugnam accedere nullus auderet, asserens se in locum tam angustum suos mittere nolle. Cujus mandati fines et banni excessisse inventus est nemo. At ubi cives a tanto periculo [h] tantoque discrimine.

[a] Mai civis. Sic C. M.; Mai civis, C. V. — [b] Castri Leonis, C. M.; Castiglionis, C. V. — [c] inceperunt movere. Sic supplevi, addito movere. — [d] Quorum segetes, C. V. In C. M., post quorum, est notula, quam Cl. Mitt. duplice interpretatur modo; nempe vel quod, vel quoque. An potius legendum quorunque? — [e] intra claustra Fractariae. Tondutius vertit: negli alloggiamenti. Num jocose dictum? — [f] et a Maio Faventino. Sic C. M.; et amice a Faventino, C. V. — [g] quasi fatigatis. Sic legit Cl. Mitt. In C. V.; quia fatigatis. — [h] a tanto periculo, C. M.; a duro periculo, C. V.

[A] Tondutius de charta foederis initi inter Ravennates et Faventinos, ab anno 1194, meminit p. 230.